

testimonium de vita, et ordinibus ipsius arg. c. *Fraternitati*. 5. de *Cleric. non resident.* et notat Joan. Andreas, ibid. n. 1. addita illa ratione; quia est quædam alienatio, can. *Fraternitatem*. dist. 71; Fagnanus, c. *Significasti*. 5. de *Offic. archidiacon.*; Card. Tuschus, litt. c. concl. 57. n. 36. asserens, quod capitulum Sede vacante non possit clerico dare licentiam transeundi ad aliam Ecclesiam, quia est alienatio.

77. *Neque succedit episcopo in ejus jurisdictione accidentali.* — Rursus capitulum non succedit episcopo in ejus jurisdictione accidentali, sed solum in ordinaria. card. Tuschus, litt. c. concl. 56. n. 47. et 48. post Romanum consil. 506. in fin; Baldus, c. *Ne pro defectu*. n. 7. de *Election.* istud probans ex cap. 1. *Ne Sede vacante*, etc. in 6. et concordant dicta superius n. 42.

78. *Casus, de quibus dubitatur, an competant capitulo sede vacante, sunt plures. Remissive.* — Resp. III. Loquendo de tertia specie casuum, nempe eorum, de quibus dubitatur, an competant capitulo Sede vacante, plures horum referuntur a Joan. Andrea, in cap. un. n. 2. de *Majoritat. et obed.* in 6. et Abbate, c. *Cum olim*. n. 2. eod. quindecim tales casus adducendo, atque resolvendo. Verum de plerisque eorum hactenus jam dictum est: unde breviter solum.

79. *An capitulum sede vacante succedat episcopo in dandis indulgentiis. Sententia affirmativa refertur.* — Quæritur IV. An capitulum Sede vacante succedat episcopo in dandis indulgentiis? Puta, concedendo indulgentias centum annorum in dedicatione Ecclesiarum, vel indulgentias quadraginta dierum in anniversario Dedicationis, et aliis de causis, juxta c. *Cum ex eo*. 14. de *Pœnitent. et remission.* et cap. ult. juncta Glossa vers. *casibus*. eod. in 6. Resp. in resolutione hujus quæstionis variare doctores. Et quidem affirmativam sententiam, veluti probabilior, tenent Abbas, c. *Cum olim*. n. 2. § *Tertio decimo. de Majoritat. et obed.* et Azorius, part. II. lib. III. cap. xxxvii. quæst. 9. citans plures alios: ac sequitur Barbosa, part. III. de *Offic. et potest. episc.*, allegat. 88. n. 21. et l. *Jur. Ecclesiast. univ.* cap. xxxii. n. 91. allegans doctores in c. *Accedentibus. de Excessio. prælat.* Sylvester, vers. *Capitulum*. quæst. 40; Garcias, part. I. *Praxis Episcop.* vers. *Indulgentia*, n. 2; Ant. Flamin. Marchettus, part. II. *Praxis vicar. capitul.* cap. xxiv. num. 3, allegans alios. Rationem

dant, quia concedere indulgentias, non est actus ordinis episcopalis, sed jurisdictionis: ut inquit divus Thomas, in 4. dist. 20. quæst. 3. art. 3. Atqui capitulum succedit episcopo in jurisdictione, non solum contentiosa, sed etiam voluntaria, saltem, quæ nulli præjudicat, neque casus reperitur in jure exceptus.

80. *Opposita quorundam sententia allegatur.* — Oppositam sententiam tenet Joan. Andreas c. *Accedentibus*. n. 2. de *Excessio. prælat.* Fagnanus, c. *Illu*. n. 14. h. t. citans plures alios, et asserens, hanc opinionem communiter teneri. Ratio esse potest, quia capitulum Sede vacante non succedit in his, quæ sapiunt gratiam. Glossa, cap. 1. vers. *Præsentatos. de Institut.* in 6. Simulque, quia potestas concedendi indulgentia, videtur esse jurisdictionis extraordinariæ, atque de illis, quæ sint reservata dignitati episcopali. Saltem totius esse, ut ad effugiendam omnem contradictionem capitulum Sede vacante istam indulgentiarum elargitionem committat cuipiam episcopo, fatetur Barbosa, cit. allegat. 88, n. 21. et Marchettus, ubi supra, apud quem plura de potestate vicarii capitularis. (ADNOTATIO VII.)

TITULUS X.

De his quæ fiunt a Prælati sine consensu Capituli.

1. *Ratio continuationis rubricarum.* — Si cuti bonum commune Ecclesiarum exigit, quod capitulum Sede vacante omnia pro libitu facere, atque ordinare non possit: ita pariter præfatum bonum commune requirit, ne plenaria, prorsusque a capitulo independens in omnibus potestas competat episcopis, aliisque Ecclesiarum prælati. Quia igitur titulo præcedenti actum fuit de iis, quæ potest, vel non potest capitulum Sede vacante: merito subjungitur præsens rubrica de potestate episcoporum, aliorumque prælatorum, tractandi negotia suæ Ecclesiæ cum vel sine consensu sui capituli. Pro cuius clariori discussione sit:

§ I.

DE CONSENSU, ET CONSILIO CAPITULI; ET QUANDO REQUIRATUR AD ACTA PRÆLATORUM.

1. *Inter consensum, et consilium, est longa differentia. Consilium nemo cogitur sequi.* —

Quæritur I. In quo differat consensus a consilio? Resp. I. Inter consensum, et consilium, longa est differentia, ut loquitur Abbas, cap. 1. n. 5, h. t.; Hostiensis, in *Summa*. eod. n. 2, vers. *Sed quæ est differentia*; Pirhing, h. t. n. 18. et Engel, n. 1. eod. cum aliis. Nam « consensus idem est, ac duorum vel plurium sensus in idem, juxta textum in caus. 29. q. 1. § 2. Unde, quando requiritur consensus capituli, tenetur prælatus sequi id, quod major et sanior pars capitularium concluderit: alioquin nulliter agit, c. 1. ac seqq. h. t. Si autem tantummodo requiratur consilium capituli, sola consultatio cum capitularibus capitulariter congregatis facta sufficiet, absque eo, quod prælatus eorum opinionem sequi teneatur: prout est casus notabilis in c. *Cum olim*. 7. juncta Glossa, vers. *Sive discordet. de Arbitris*. Siquidem nullus cogitur sequi consilium alterius, etiamsi illud petere teneatur, arg. cit. c. *Cum olim. de Arbitris*. et c. *Cum in veteri*, 52. de *Election.* ac sæpius respondisse sacram congregationem concilii, refert Fagnanus, c. *Cum ex eo*. n. 20. de *Reliquiis et venerat. Sanctor.* Quinimo quilibet apud se ipsum explorare, ac deliberare debet, an illud, quo alius consultit, sibi expediat, nec ne, can. *Quisquis*. 14. q. 1. et l. II. ff. *Mandati*. In quo posteriori loco dicitur: « Liberum est cuique apud se explorare, an expediat sibi consilium. »

3. *Et cur nihilominus aliquando prælatus cogatur adhibere consilium capituli?* — Nec dicas. Ergo frustra prælatus aliquando cogitur consilium capituli adhibere, si non tenetur sequi sententiam ipsius. Resp. enim cum Glossa, c. *Cum olim*. vers. *Sive discordet. de Arbitr.* et doctoribus passim, negando sequelam. Quinimo talis prævia consultatio cum capitulo habita, potest ad multa esse utilis: tum quia hac ratione, sive ob necessitatem requirendi consilium capituli, occurritur præcipitantiæ prælati; cogiturque prælatus melius deliberare negotium, et illud maturius resolvere; tum quia potest quandoque consilium capituli movere prælatum ad aliquid faciendum, quod forsitan per se fecisset, arg. c. *Nicæna*. dist. 31. Nam, ut habet illud vulgatum: « Oculi plus vident, quam oculus. » Hinc illud *Ecclesiastic.* xxxii, 24. cœleste monitum: *Fili, sine consilio nihil facias, et post factum non pœnitebis*. Atque idcirco non frustranee jura in certis casibus statuerunt, quod prælatus teneatur adhibere consilium capituli, etiam sub nulli-

tate actus isto non adhibito celebrati: ut c. *Cum in veteri*. 52. de *Election.* cum similibus.

4. *Consilium quandoque sumitur pro consensu.* — Resp. II. His tamen non obstantibus consilium quodcumque accipitur pro consensu, seu auctoritate superioris. Ita Fagnanus, c. *Admonet*. n. 3. citans Butrium ibid. num. 5. et 6. et Cardinalem, in 3. Not. de *Renuntiatis*. Atque clare innuit textus ibidem, utpote prohibens, ne quis clericorum audeat Ecclesias « dimittere inconsulto, » episcopo: nam ly, « inconsulto, » idem importat, ac sine consensu episcopi; prout explicat Glossa, ibid. vers. *Inconsulto*. Neque enim ad dimitendum beneficium sufficit consulere prælatum; sed oportet illius consensum obtinere, can. *Episcopus de loco*. et can. *Si quis presbyter*. 7. q. 1. cum concordantiis. Simile quid habetur in concilio Tridentino, sess. 23. cap. xvi. de *Reform.* illis verbis: « Quod si locum inconsulto episcopo deseruerit, ei sacrorum exercitium interdicitur. » Nam ly, « inconsulto, » importare defectum consensus episcopalis, patet ex contextu verborum; ac notat Fagnanus, loc. cit. n. 13.

5. *Consilium reverentiæ obligat, estque servandum.* — Tacetur consilium reverentiæ: nam quod istud obliget, ac proinde necessario sit observandum, patet ex c. *Ad aures*. juncta Glossa fin. de *Ætate, et qualitat. præficiend.* estque jam dictum supra l. I. tit. de *Constitutionibus*. § 7. n. 159. et 160.

6. *In quibus casibus generatim requiratur consensus capituli? Hæc quæstio procedit non solum de capitulo cathedrali respectu episcopi, sed etiam de capitulis inferiorum ecclesiarum, et monasteriorum respectu proprii prælati.* — Quæritur II. In quibus casibus, seu negotiis, generatim requiratur consensus capituli? Hæc quæstio non solum procedit de capitulo cathedrali respectu episcopi, sed etiam de capitulo inferiorum ecclesiarum, imo et monasteriorum respectu proprii prælati: nam in istis omnibus reperitur ratio unius corporis mystici, cujus caput est episcopus, aliisque prælatus, mentem vero esse probantur canonici, aut (loquendo de monasteriis) cæteri religiosi, seu conventuales, arg. c. *Novit*. 4. h. t., insuper quæstio procedit duntaxat de bonis, atque juribus communibus; seu quæ ratione Ecclesiæ, atque unitatis corporis mystici competunt singulis et collegio: nam, quod episcopus, aliisque prælatus capax domini rerum in parti-

culari, libere disponere possit de bonis suis patrimonialibus, extra controversiam est. Quibus prænotatis.

7. *Minora negotia potest episcopus, seu prælatus sine consilio, vel saltem sine consensu capituli peragere: non vero majora.* — Resp. I. Generatim loquendo, ac seclusa speciali locorum consuetudine, minora negotia potest episcopus, seu alius prælatus sine consilio, vel saltem sine consensu capituli peragere; majora vero negotia, debet expedire cum consensu, vel saltem cum consilio capituli: cum consensu quidem, quando is expresse requiritur a jure: cum consilio vero, quando jus vel expresse requirit consilium capituli, vel saltem ipsamet res est gravis et ardua, majorisque momenti. Ita in re communi; et ratio generalis est: quia capitulum cum episcopo, vel alio prælato suo, constituit unum corpus, cujus caput est episcopus, seu prælatus, capitulum vero repræsentat membra illius corporis: atque ideo in recte agendis non debent dividi, et separari membra a capite; quia hoc esset monstruosum. Eadem conclusio probatur quoad singula. Nam:

8. *Seclusa speciali locorum consuetudine.* — Dicitur imprimis, « Generatim loquendo, ac seclusa speciali locorum consuetudine, » etc. Siquidem data conclusio stat loco regulæ, quæ procedit spectato jure communi, ac seclusa speciali locorum, seu Ecclesiarum consuetudine: nam quod consuetudo in proposito plurimum valeat, ac proinde in praxi bene sit attendenda, ex professo dicitur infra n. 25. 26. et seq.

9. *Istud amplius probatur. Consilium capituli superior sequi non cogitur.* — Dicitur secundo sub disjunctione, « minora negotia potest prælatus sine consilio, vel saltem sine consensu capituli peragere. » Nam in hisce minoribus negotiis consensum capituli non requiri, fatentur omnes: eo quod ipsemet prælatus habet administrationem rerum suæ Ecclesiæ, c. *Cum nobis*. 19. § fin. de *Electione*. Sicut et Abbas totam potestatem habet circa cultum divinum, aliasque res monasterii sui, can. *Nullam*. 19. q. 2. Unde consequens est, quod in minoribus negotiis non requiratur consensus capituli, sed sufficiat adhibere consilium ipsius, quod tamen superior sequi non cogitur arg. c. *Cum olim*. 7. de *Arbitris*, Quinimo in rebus levioribus atque quotidianis, nec opus est consilio capituli, utpote quod impossibile foret semper congregare; et alioquin frustra committere-

tur prælatis administratio rerum ecclesiasticarum, si in omnibus opus haberent consensu, vel saltem consilio capituli.

10. *Bene tamen adhibere, ubi id de jure requiritur: et quidem sub nullitate actus.* — Dicitur tandem in data conclusione, « majora vero negotia debet expedire cum consensu, vel saltem cum consilio capituli, » etc. Istud siquidem patet ex toto hoc titulo, cum concordantiis. Unde quæ peragenda sunt cum consilio capituli secundum præscriptum juris, non obstante, quod ejus consilium prælatus sequi non teneatur, tamen si tale consilium is non adhibeat, irrita erunt acta ejus: uti habetur c. *Novit*. 4. h. t. ibi: « Nos enim tales institutiones, et destitutiones (sine consilio fratrum, seu capituli factas a prælato) carere decernimus robore firmitatis. » Idem constat ex c. *Quanto*. 5. eod. et c. *Cum olim*. 7. de *Arbitris*.

11. *Ubi requiritur consensus capituli, non sufficit consilium adhibere.* — E contra, si quæ agenda sunt cum consensu capituli, non sufficit duntaxat consilium ipsius adhibere; sed opus est etiam consensu capituli, vel saltem majoris et sanioris partis ejus. Textus est in cap. 1. et c. *Tua nuper*. 8. et c. *Pastoralis*. 9. h. t. et alibi.

12. *Generatim requiritur consensus capituli in omnibus illis, in quibus vertitur Ecclesiæ, vel capituli interesse, sive præjudicium.* — Resp. II. Generatim requiritur consensus capituli in omnibus illis casibus, seu negotiis, in quibus vertitur Ecclesiæ, aut ipsius capituli interesse, sive præjudicium. Ita Abbas, cit. c. *Novit*. n. 7, h. t.; Barbosa, tract. de *Canonic. et dignitat.* cap. XLII, n. 14; Piasecius, in *Praxi episcopal.* part. II. cap. II. art. 3. num. 8; Pirhing, h. t., n. 16; Engel, eod. n. et alii. Idque desumitur ex cap. ult. h. t. ubi ad concilia provincialia convocari, et admitti debent Ecclesiarum cathedralium capitula, seu « eorum nuntii ad tractatum: maxime super illis, quæ ipsa capitula contingere dignoscuntur. » Idque merito: quia, quod omnes vel aliquos tangit, debet ab ipsis approbari; sicque requiritur consensus eorum, nec sufficit consilium; ut c. *Quod omnes*. 29. de *Reg. jur.* in 6. et l. *In concedendo*. ff. de *Aqua pluvia arcend.* cum similibus. Alioquin certe per indiscretas quorundam prælatorum actiones, puta, alienationes, facile præjudicium grave inferetur capitulo, rebusque ecclesiasticis ad istud pertinentibus. Verum descendendo ad specialiora.

13. *In quibus casibus in specie requiratur consensus capituli? Hic non requiritur, quando episcopus procedit ut delegatus Sedis apostolicæ.* — Queritur III. In quibus casibus in specie de jure communi requiratur consensus capituli? Resp. I. Hujusmodi casus, seu negotia, in quibus spectato jure communi requiritur consensus capituli, plura sunt: uti videre est apud Abbatem, in c. *Novit*. n. 7., h. t.; Hostiensem, in summa, n. 2. eod.; Piasecium, part. II. *Praxi episcopal.* cap. II. art. 2. n. 8. et 9; Barbosam, cit. tract. de *Canonic. et dignit.* cap. XLII, a n. 3. usque ad n. 15. et alio passim. Quanquam notet idem Barbosa, n. 14. circa fin. post Theodosium de Rubeis tom. II. *Singularium Rotæ*. quæst. 3. §. *Abbas*. § 4. ejusmodi casus esse intelligendos, quando episcopus procedit jure ordinario: nam in illis, in quibus procedit ut delegatus Sedis apostolicæ, v. g. vigore concilii Tridentini, nullam episcopus habet communionem cum capitulo; sicque non indiget hujus consensu, neque consilio. Hoc ipsum tradit Fagnanus, c. *Ad audientiam*. il. 1. n. 53. et 54. de *Eccles. ædificand.* asserens, quod in actibus illis, qui per episcopum fiunt auctoritate delegata, non requiratur capituli consensus; cum Papa, cujus vices gerit delegatus, ad illius consensum requirendum non adstringatur.

14. *Consensus capituli requiritur in alienatione rerum ad Ecclesiam, vel capitulum pertinentium.* — Resp. II. Descendendo ad enumerationem talium casuum in specie, cum primis requiritur consensus capituli, neque sufficit consilium illius, in alienatione rerum ad Ecclesiam, vel capitulum pertinentium. Textus est in can. *Sive exceptione*. 12. q. 2. et caq. 1. h. t. ubi « irrita dicitur episcoporum donatio, et venditio, vel commutatio rei ecclesiasticæ, absque collaudatione, et subscriptione clericorum, sive capituli. » Quamvis Glossa ibid. §. *Communitio*, recte notet, istud esse intelligendum de re magna, puta, immobili, vel mobili pretiosa: parvam enim rem donare, vel aliter alienare, bene potest prælatus sine præfata solemnitate; ut c. *Cæterum*. 3. de *Donatione*, et can. *Terrulas*. 12. q. 2. Idipsum, seu quod alienatio rerum ecclesiasticarum absque consensu capituli, et non servatis cæteris solemnitatibus juris facta, non teneat, patet ex cap. II. et III. et 8, h. t., cum similibus: atque ex professo dicitur infra tit. XIII. de *Rebus Ecclesiæ non alienandis*. (ADNOTATIO VIII.)

15. *Item quando agitur de subjectione capituli.* — Deinde requiritur consensus capituli, quando agitur de ejusdem subjectione, arg. cap. ult. de *Majoritat. et obed.* Ubi Papa, volens decidere controversiam inter archiepiscopum Bituricensem, et archiepiscopum Burdegalensem super jure primatiæ suboriam, jussit antea requiri assensum dictorum capitulorum, utpote subjiendorum alterutri illorum archiepiscoporum, velut primati. Idem ergo dicendum in similibus casibus.

16. *Et quoad obligationem Ecclesiæ v. g. ex deposito, fidejussione, etc.* — Tertio requiritur consensus capituli quoad obligationem Ecclesiæ; hoc est, ut Ecclesia ex deposito, vel fidejussione, aut mutuo, vel gravi donatione obligetur: ut cap. 1. de *Deposito*. et c. *Quod quibusdam*. 4. de *Fidejussionibus*. et cap. 11. de *Solutione*. et c. *Fraternitatem*. 2. de *Donationibus*. Hostiensis, ubi supra, n. 2. atque in propriis locis amplius dicitur.

17. *Item quando collatio beneficiorum communiter spectat ad episcopum et capitulum.* — Quarto, si collatio beneficiorum communiter spectet ad episcopum (vel alium prælatum) et capitulum ipsius, non poterit episcopus, sive alius prælatus conferre tale beneficium absque capituli sui consensu: et si secus fiat, non valet collatio, sive præsentatio ad beneficium. Ita habetur c. *Ea noscitur*. 6. h. t. addita tamen ea limitatione, nisi potestas conferendi de consuetudine, vel privilegio competat soli prælato. Concordant dicta superius tit. V. de *Præbendis*. § 7. num. 199. et 200.

18. *Quod ampliatur ad alia, quæ spectant ad episcopum et capitulum simul.* — Atque istud ampliatur ad omnia alia quæ spectant ad episcopum et capitulum simul: ut, quia promiscue sunt jurisdictiones, aut quia specialiter in negotio aliquo ad invicem conveniunt, vel a Sede apostolica fuit in speciali casu mandatum. Barbosa, cit. tract. de *Canonic. et dignitat.* cap. XLII, n. 14, vers. *Septimo*. Alioquin vero capitulum habens mensam separatam ad episcopum suo, potest ea de se, quæ possunt alii rectores, ac beneficiarii: ut puta, locando ab triennium, dando res in emphyteusin ab antiquo sic concedi solitas, ac hujusmodi Federicus de Senis, consil. 295; card. Tuschus litt. c. concl. 52. n. 1. et seq.; Barbosa, ubi supra.

19. *Consensus capituli requiritur in suppressione canonicatum et unione beneficiorum propter tenuitatem præbendarum in Ecclesiis*